

Alte Drucke

Postillae Sive Conciones ... In Epist. & Euang. de Sanctis ... memoria

POSTILLÆ SI-||VE CONCIONES REVE-||REND. D. IOANNIS FERI, || Metropolitanæ
Moguntinæ Con-||cionatoris absolutiss. || In Epist. & Euang. de Sanctis, quorum
ab Ad-||uentu vsque ad Festum Pascæ in ...

Wild, Johann

Antverpiae, 1559

IN DIE S. ANDREAE APOST. EVANGELIVM Matthaei 4.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150424

IN DIE S. AN-

DRE Æ APOST.

EVANGELIUM

Matthæi 4.

Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrē eius, mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis: Venite post me, & faciā vos pisces hominum. At illi continuo relictis retibus sequuti sunt eum. Et procedens inde vidit alios duos fratres, Iacobū Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cū Zebedæo patre eorum reficientes retia sua: & vocauit eos. Illi autem statim relictis retibus, & patre, sequuti sunt eum.

EODEM FESTO EPI.

STOLA PAVLI,

Roman. 4.

Fratres, Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Dicit enim scriptura: Omnis qui credit in illum nō confundetur. Non enim est distinctio Iudæi & Græci: nā idē dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illū. Omnis enim qui inuocauerit nomen domini, saluus erit. Quomodo ergo inuocabunt eū, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quē non audierunt? Quomodo autē audient sine prædicante? Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Sicut scriptum est: Quā speciosi pedes euangelizantium pacem, e-

4 uange-

uangelizantium bona. Sed non omnes obediunt Euangelio. Isaias enim ait: Domine quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu est, auditus autē per verbum Dei. Sed dico: Nunquid non audierūt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis verba eorum.

PRIMVS SERMO,

Quomodo Christus Euangelij negotium aggressus sit, quos in hoc selegerit, tum Andreas prædicario.

Hodierna dies Apostolo sacra est, nec vlli vestrum ignotum arbitror, quid illius ordinis sanctis debeamus, quidue ab illis tenendū sit. Sit licet non omnibus plenē cognitum nomē Apostoli, quia Græcū: quia tamen nos nuncios dicimus, sit perspicuū legatos siue redarios intelligi, à Christo Domino missos ad nos: tales, inquā, omnino legatos regio, qui non verbis & humanis rationibus, sed virtute & potētia diuina, nō leui aliqua de causa, sed (quod maximi momenti est) salutis nostræ ratione apud nos suo fungantur officio. Hoc igitur quale sit, si quis secū diligētius cogitauerit, nō magno labore quid nō dico Apostolis modo, verūmetiā quantum Deo & patri nostro qui illos misit debeamus, perspiciet. Porro Euangelium hoc duo nobis considerāda loquitur. Primū, quod quorundā hīc apertē expressa sunt nomina, tū ex quo vitæ genere, quales ad eā dignitatē prouexerit. Estq; omnino eiusmodi historia, quæ merito admirationem parit omnibus.

Certē magnū quid Christ⁹ hac vice inter obambulandū iuxta mare Galilæe præmeditabatur: tale, inquā, quale nemo vnquam cogitauerit atterare, quantūlibet maxima nō pauci magno nisu conati sint. Nō. n. parū quid est, qd̄ Adami soboles quiescētibus aquis diluuij ad cœlū vique turrim ædificare ausa fuit, quodd Alexāder ille magn⁹ nec totū mundū sui vnus legib⁹ subiugare dubitabat, qd̄ Assyriæ Tyrānus abolitis dijs, solus De⁹ agnosci & reuereri voluit, qd̄ simili audacia nōnulli deinde Cæsares magna ipsa etiā cogitatioē impossibilia atterāuere, vt de Nerone & alijs in Suetonio est. Sed quid hæc oīa sunt respectu eorum

Gen. 11.

Iudi. 3.

tū quæ hic molitur Christus? Ipsum népe Satanā impetere, regnoq; suo huius mūdi profligare principē: erroribus extirpatis Mōsi legē Iudaicasq; ceremonias, et cultum; duo magna profectō autoritate à Deo exhibita & commēdata, immutare. Hæc, inquam, Christus illo secū ingenti cura versabat tempore, eaq; propter ecclesiā à se de in hunc mundum descenderat. At nunc porrò con-
 sideremus quo cōsilio, quauē ratione tantū opus aggregitur. Principiū triginta annis obscurus sine strepitu humilem vitam agens, nullius magni facinoris specimē edit, nec quicquam in eo à cuiuslibet Mechanici filio alienum consideratur. Deinde manū operi appositurus, cū in templo honoratos, in prætorio sapiētes & sciolos, in Cæsaris aula potentes viros seligere potuisset, deligit inopes, indoctos, simplices. Illos præterit, mai proximos videt piscatores vocat, suscipit. Hos idoneos testes, & mysteriōrū Dei iamiam in lucē edendorum præcones iudicat. Per hos ipsos totus mundus concuti, mōueri & cōverti debuit: per hos potentū vis infringi, omniumq; sapientū prudētia conuinci. Hos signa facere, miracula cunctis inaudita seculis edere propositum est. Et quis tanti ponderis non miratur facinus? Quis expectasset, quod ipse ille abiectus Christus cum suis pauperculis despectusq; Apostolis, aliquod horū quæ moliebatur effecisset! Quæ Phariseorum Scribarumq; dum hæc viderēt cogitatio? Haud dubiè lusum arbitrati hæc intra se tacitis colloquuti sensibus: Quid fatuus iste per hosce suos efficiet rusticos? Quod damnū, quā cladē diabolo eiusq; regno importabit? Sed sic Deus huius mūdi cōfundit sapiētes. Quod illis abiectū, assumit: horūq; opera plus quā mūdus vel artibus suis vel potētia, cōficit. Quin nihil hic mūdus nisi per opulētos, doctos, & potētes, per prouidos ingeniososq; effecit: cōtrā Deū sua per ingnobiles, imbelles, & humiles perficit opera. Et hoc quidē primū hodierna lectione considerandū venit. Secundum, quod Andreæ quoq; hic fit mentio, paucissimis licet, minimum tamē in sacris scripturis propositū à nemine prætereundū est. Vocatur ergo inter alios & Andreas in hac lectione Euāgelica à Christo, qui etiā post hæc in Apostolum eligitur & cōfirmatur. Quæ au-

Luca. 3.

1. Cor. 1.

Math. 10.

Ioan. 1.

de p. 476

tem vitæ ipsius in Apostolatu series, ex eo videre est, quod statim à conuersione sua Simoni Petro fratri suo insinuat dicens: Inuenimus Messiam. Et quidem hæc prima eius concio, qua satis quid illo tēpore de Christo iudicauerit, quidue postea in totius mundi huius partibus prædicando docuerit, apparet. Quid excellentius, quid iucundius in omni materia prædicari potest, quam, Inuenimus Messiam? Quicquid enim & egregiū & pulchrū cū in veteri tū in nouo testamēto traditum est, totū in hoc vno verbulo cōprehensum est. Messias enim vnctus dicitur, quomodo olim reges & sacerdotes vngebantur. Qui ergo Messia se inuenisse cōfiteatur, regē se inuenisse insinuat & ostēdit, qui et redimere potis sit et defendere: & sacerdotē, q̄ p̄tā auferre, & cū deo recōciliare valeat.

Tantū ergo Andreas vnā illa qua Christo conuixerat die didicerat: atq; vtinā vel hoc solū toto vitæ nostræ tēpore possemus addiscere. Equidem haud magno labore isthæc efferūtur verba, Inuenimus Messiam, eaq; addiscere cuilibet facile. Quemadmodū videmus addictissimos quosq; carni homines nihil æquē in prōptu habere, quā quod Christū & Messiam inuenerint & agnouerint ore profiteri: sed certū est, nō omnes eo modo Messiam inuenire, quo Andreas inuenerat. Hic labor multus est. Primū enim Christus quæri, hoc est, desiderari vult. Deinde vult & teneri. Et hæc duo plenē considerare licet in Andrea nostro. Quo enim desiderio Messiam quæserit, principio ex hoc colligi potest: quod statim Ioāne suum munus prædicādi auspicatē, ipse sit discipulus: vel ea intentione, vt quē suapte natura inuenire nō poterat, Ioannis testimonijs addisceret. Secundo ex hoc videre est, q̄ statim monstrāte Ioanne in Christū, sequitur ipsum. Pari autē cupiditate & diligētia Christū antē quæsiuit, & alios deinde ipsi adduxit. Hoc primū in fratre ostēdit quē ante alios ad Christum perducit: nec requies quin obuios quosq; quibus adhuc Christus incognitus, in Messia agnitionē pertrahat. Postremò agnitū messia tenebat mor dic⁹, nec vel secūdis vel aduersis, nec morte nec vita, nec vel hominibus vel impijs à Christo auelli & diuidi potuit spiritibus.

Et hæc quidem, quas adhuc quotidie ab Apostolo hoc audi-

audi-

audimus prædicationes. Verbis appropinquans cælorum regnum vicinū nobis esse denūciat. Exemplo suo quo modo, qua ratione quærendus Christus sit edocet: nempe ad salutē. Et deniq; passionē suā, qua mentis constantia apud Christū persistendum, cōmonstrat. Et quid desideramus amplius? Quid cæteri Apostolorū suis vel Euangelij vel Epistolis scriptū reliquerūt amplius his tribus partibus? Id quod eorū causā retuli, qui ea propter hunc nostrum Apostolum inferiorē iudicant, quod non vti Petrus, Paulus, Ioannes, & alij vel Euangelia vel Epistolas conscripserit. Audistis enim, quod primum hoc verbo, Inuenimus Messiam, deinde etiam suo exemplo satis docuerit. Agamus ergo Deo gratias, qui tales nobis dedit Apostolos, patres & doctores. Laudemus Deum, qui tam mirabilis in sancto suo Andrea persistit. Rogemus Deum ut nos gratia sua imbuat, quo Andree sequentes vestigia, tandem cum ipso omnibusque electis in beatorum exultemus curia, Amen.

SECUNDVS SERMO.

De processione in die Palmarum, quæ continet Ecclesiæ ab

Adam ad vltimum hominem typum: cum quo-

do Andreas in hoc comitatu, quo

loco, &c.

Dominica die proximē elapsū, sumpta occasione ex eius diei Euāgelio audiuitis, quod ab origine mundi in nostra hæc vsque tēpora, hinc etiam ad finem mundi, hoc est, ab ipso Adam vsque ad vltimum credentem qui in fine mundi nasciturus erit, credentium deducta linea, ordo & successio; nullibi rectius & clarius insinuatur, quā illa processione, quā Christus in Palmarum die comitatus urbem intrauit Hierosolymam. Aderant plurimi multorum ordinum homines: qui licet omnes vnā cum Christo urbem intrarent, non tamen omnes simul: longē alij alios præcedebant sequebanturque ordine, quidam mediū tenenti Christo proximi: omnes tamen vno ore acclamabant, ipsum confitentes verā Da- Matth. 21.
uidis sobolem & Messiam. Vnā, inquam, fides omnibus, vna acclamatio, vna omnibus confessio, multis licet postremi primos, primique vltimos sequerentur præirentque passibus, nec omnibus æqua videndi copia domini.

Viderunt enim sequentem præeuntes minimè: cōtenti,
quod certò sequebatur Christus, eoq; cæteris laudando
perstrepāt inhilominus. Plus aliquid sequētib; priuile-
gij, quod licet præcedētis non faciē contueri datum est,
inter cæteros tamen eminētis caput, posterioraq; videre
cōcessum erat. At planè beati quib; proximus apud Chri-
stū locus contigit: his nimirū auricomum barba totaq;ue
ad eò facie intueri et admirari licuit. Ea igitur ratione, eo-
q;ue modo Christus in terris regnū suū instituerat, sem-
per suis legibus obediētes sibi; deuinctos habuit popu-
los: qui licet nō vno eodēq; viuerent tempore, per suc-
cessionē tamen omnes in nemine, quā in vno illo Chri-
sto salutem & crediderunt & sperauerunt. Præcesserunt
Christum homines, sequuti sunt ipsum homines, etiam-
num sequūtur homines. Ille inter omnes medius, vt qui
solus in potenti suo brachio è mūdi huius perditione e-
ripit, & in cœlestē Hierosolymā in templum summi Dei
perducit. Eorū ergo qui Christū præcesserunt, quosdam
proxima concione enumerauī, & ex proprijs ipsorū di-
ctis indicauī, quod omnis eorum fides, & sermo, & ora-
tio nihil aliud fuerint, quā quædam cum populo Hie-
rosolymitano acclamatio, Hosiana filio Dauid. Andreas
porrò noster vicinior Christo fuit: imò eorum vnus ex
numero, qui æquis passibus iuxta Christum inceserunt,
eoq;ue non iam à tergo, sed corā faciē contemplari com-
modus potuerūt: ac cum non parua exultatione dicere,
vt in Ioāne est, oculis nostris vidimus, auribus nostris au-
diuimus, perspeximus, & manibus nostris attrectau-
mus: Qui certe nō minimus ad salutē gradus est. Quæd-
modum ipse etiā Christus attestatur cū ait: Beati oculi q
vident quæ vos videtis. Et iterum: Hæc est vita æterna,
vt agnoscant te solum verum Deum, & quem misisti Ie-
sum Christum. Hoc ergo præcipuum, inter ea quæ in S.
Andræa miratur, veneratur, & prædicat Ecclesia. Neque
enim quicquam melius in hac vita mortalibus contingit,
quā in Christi regno inter Dei annumerari filios,
& amicus Christi esse & dicier. Mundus licet hic stultus
istum honorem nihili æstimet, tantū ab hominibus ho-
norem quærat & gloriolam: imò honorem quem Deus
tribuit, despicit, contemnit, abijcit, eoq;ue non immeritò
eorum

1. Ioan. 1.

Luc. 10.

Ioan. 17.

Ioan. 12.

eorum vnà cum hominibus ipsis gloria dispellitur, fugit, interit, sempiternaq; subsequitur ignominia. Voluit maledictionem, & venit ei (inquit Psalmista de impijs): noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Qui ergo verè Christiano gaudet nomine, hodie & audiat & meditetur, quomodo Andreas primum in huius processioneis comitatum peruenerit, quam in ea vitæ sequutus ratione, quoque modo vitam postremò cum morte commutauerit. Cum Christus primum conspiceretur in mortalibus, nedum Andreas Baptista conuersationem reliquerat. Sed quod quærebat apud Ioannem, peruestigare nò potuit: ratus in Ioãne se habere Messiam: sed nò erat. Perhibente verò Ioanne testimoniũ Christo, in quẽ & comonstrabat digito: reliquit magistrum, & Christũ sequitur Dominum: non enim seruum, sed dominum: non hominem, sed Dei quæritabat sobolem. Hoc desiderium suũ à Christo quem quæreret rogatus, verbis indicat: Rabbi, inquit, vbi habitas? ac si diceret: Agnosco me peccatorem, quæro reconciliatorem: confiteor me perditam ouem, & verum inuestigo pastorem. Te ergo, quia talis mihi perhiberis, ipsum quærito: te, inquam, audire cupio: tuaque semper beata familiaritate frui desidero. Et hoc quidem initium Apostoli huius.

Psal. 108.

Ioan. 1.

Quid porrò de ipso sacra attestatur hystoria? Relicto aliquantisper Domino, fratrem reperit Simonem: huic prior euangelizat: Inuenimus Messiam, inquit. Et adduxit eũ ad Iesum. Quod autem tunc primũ in fratre ostendit, hoc deinde omni vitæ suæ tempore perficit. Hæc prædicatio eius: Inuenimus Messiam: hic labor, hæc diligentia, hic eius conatus, vt omnes ad Christum adduceret. Et hæc quidem in regno Christi præcipua: Christũ confiteri & prædicare, alios adducere, & indefinenter quoquo modo Christi regni fines extendere, propagare.

Quomodo vitæ concludit ordinẽ? Et hoc accipe. Cũ magno studio, maiore conatu, maximo etiam fructu, sancto in vinea Domini Sabaoth propagandæ fidei negotio incumberet ad Patras Achaia: urbem, Aegeas ecce proconsul, ab ipso Satana missus, non solum Apostoli prædicationibus obsistit, verum etiã minis à confessione deterere nititur. Huic sese fortis Athleta opponens, ait: Nedũ

Aegea Romanis principibus cognitum: Deum nostræ salutis causa in hunc orbem proprium demisisse filium, &c. Et continuans sermonem, tata in laudem Crucifixi Domini, tanto cum affectu perorat, ut vix à quoquam pio fine mentis commotione legi queant. Ac deinde Aegea crucem minitante: Si, inquit, crucis poenam timerem, gloriæ crucis Christi prædicator non essem. Verbum profectò dignum quod omnium mentibus inscriptum maneat. Nouimus enim gloriam crucis Christi, eoq; nec ipsam formidolosi timebimus crucem. Rapitur ergo cum gaudio ad crucem, & martyrij loco appropinquans, cum à longè crucem videret, salutatur eam dicens: Salve crux sancta, decorem & pulchritudinem tuam de membris susceperisti Domini. O crux diu desiderata, sine intermissione quaesita, suscipio te lætus, gaudens ad te venio: suscipe me discipulum eius qui pependit in te. His dictis crucis Andreas subit martyrium, & iam cruci affixus, crucis mysterium prædicat: hocque biduo continuans, eò auditores permouet, ut adorti Proconsulem, iustum iniquissimè cruci affixum postularent reddi hominem: verum Dei amicum acclamarent. Commotus proconsul populi postulatione, cruce iubet deponere: sed Apostolus Deum animam susceperet efflagitans, cœlitus emissio lumine, statim Deo tradit spiritum.

Hæc historia, hæc S. Apostoli vitæ series, quæ tria hæc nobis commendat: Christum querere, confiteri, & tenere. Quæramus igitur Christum, non ut multi stulta curiositate nec iniquitatis nostræ operculum, ut Pseudoeuangelici: sed ad salutem, ad felicitatem, & ad beatitudinem. Inuenisti Christum? Noli erubescere eum: confitere eum non verbis modò, verum etiam factis: imò omni vita, omnibus actionibus tuis. Sed nec quid à Christo te diuellat, abstrahat, diuidat. Nullis enim opibus, nulla huius mundi fortuna damnum reparabit, si Christum perdideris. Neque etiam condignæ sunt passionis & pericula huius vitæ, quæ comparari queant remunerationi, quæ est & expectatur in Christo Iesu. Eum nobis Dominus Deus æternus largiatur spiritum, qui sese in Andrea nobis manifestauit Apostolo, Amen.

Rom. 8.

TER.

TERTIVS SERMO,

*ysum ostendit gratie, maxime sub
crucis insignijs.*

Hodiernæ diei lectio Evangelica Apostolorum vo-
cationem nobis insinuat: & hodierna festinitas vnū
nobis ex ipsis exhibet Apostolis, Andream dico;
qui non solum vt alij à Christo vocatus, verū etiam vo-
cationi in omnibus respondit: neq; id modò initio, sed
ad finem vsq; vite suæ. Et quidē hoc solum meretur lau-
dem. Quid enim vocatio proderit, nisi quis ad finē per-
seuerauerit? Quid proderit habere gratiam, & abuti ea?
Quid pulcherrimarū rerum optimū, sine scēlici fine, ini-
tium? Nunquid & Saul, iplusq; adeò Iudas, vocati erāt?
Nunquid gratiā consequuti? Nunquid pulchris gaude-
bāt rerū initijs? Et quidē scriptura testimoniū reddēte,
melior Saulo in omni non erat Israël. Et Iudas ab ipso
Christo, quemadmodum & alij, in Apostolū electus &
vocatus erat. Sed quid vtriusq; profuit vocatio, cū ipse
Saul perditissimus hominum, & Iudas traditor simul &
occisor Dei filij factus est? Ipso Domino dicēte, Melius
esse non natum esse hominē illum. Et quemadmodū Pe-
trus de omnibus loquitur in genere: Satiū esse non co-
gnouisse viā salutis: quā cognouisse, & cōuerti ab ea.

Id quod nos quoq; cogitare debemus magno studio.
Habemus enim ipsi initium salutis, vocati in regnum fi-
lij Dei. Omnes enim filij Dei estis, per fidem in Chri-
sto. Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christū
induistis. Eoq; studiosiores in accepta gratia pergere, ac
indies magis magisque in ea succrescere debemus, ne
quod Saulo & Iudæ accidit, nobis quoq; contingat. Et
in hoc exemplū Andree seruit. In ipso enim coniuncta
vidimus Dei gratiam & genuinum eiusdem vsū: opti-
mum initium & huic finē non absimile: vocationē Dei, &
eiusdem exequutionē diligentē simul & perscuerantē.
Nam cum Ioannis primum per desertum rumor incre-
bresceret: cū, inquā, ipse anteambulo Messia annuncia-
ret, regnumq; Dei esse prædicaret in propinquo: in
primis quoque hic erat eorum qui Ioanni consentiebāt,
vt vel hac ratione citius manifestatum Messiam agno-
sceret. Deinde etiam cum Ioannes neminem non à se

Matth. 4.

1. Reg. 9.

Matth. 10.

Matth. 26

2. Petr. 2.

Gala. 3.

Luca. 3.

Joan. 1.

Math. 4.

ad Christum ablegaret, digitoque monstraret : quia hic est, primus quoque inter multos sese Christo associat Andreas. Vocatus denique est naui cum fratre Petro, relictis retibus vocantem sequitur Christum.

Optimum profectò præclari facinoris initium : neque tamen in hoc gradum sislit, pergit inde, seq; ipso indies fit melior. Potuisset quidè alius apud se cogitare, & consentientibus tacitè colloqui affectibus : Ecce questu diu- que desideratum bonu adeptus, Christum, ipsum Mes- siam, salutemq; veram, quid est quo indigeas? Sed mini- mè priuata salute contentus, qui diuite thesauro opu- lentam gratiam consequutus fuerat, omnes ex eo disces- cere cupiebat : omnibus Messia: agnitionem & gratiam superinfundi desiderabat. Hac mente primum fratrem suum (vbi in re naturali proximum) ad Christum addu- xit. Qui enim (Paulo teste) suis maximè familiarib, non prouidet, fidem abnegauit, & est infideli deterior. Pro- uidebat ergo Andreas fratri, vt & ipsum, in agnitionem Messia: pertraheret. Deinde porrò vna hæc illi sollicitu- do, omnes ad Christum pertrahere: omnes ad propriam salutem perducere.

1. Tim. 5.

Phil. 1.

Act. 16.

Nunquid non laudi hoc ipsum Apostolo nostro da- tur? Quid enim in hoc ipso videmus, nisi eam, qua & Paulus præditus erat mentè? cum ait : Testis est mihi Deus, quam cupiam vos oēs in visceribus Iesu Christi. Et ite- rum ad Agrippa regem: Optarim à Deo, non solū mo- dica ex parte, verum etiam magna, non te modò, sed oēs qui me audiūt hodie, tales esse, qualis ego sum, exceptis his vinculis. Simile dico ingeniu in Andrea videre est.

Quod autem bene & pulchrè incepit, optimè pul- cherrimeque perfecit: ita planè, vt ne quidem satis admi- rari queat Ecclesia, nec vno modo ante oculos ponens summè omniū Christianorū mentibus inscribere quic- quid hic noster Apostolus ad crucis mortisq; locū pro- perans loquutus est, cupiat. Sunt enim dubio procul ma- gni momenti verba, quæ omnes nos meritò in sui rapiat admirationem. Non illa naturæ humanæ vis : non hoc carnis sanguinisque, quod geritur, opus est: sed constan- tis pietate fidei conscientia: nullius mali sibi conscia, ip- susque Dei & Spiritus sancti gratia. Quia autem An- dreas

Andreas

Andreas his omnibus imbutus erat: fide, inquā, animo optimē sibi conscio, & spiritu diuino: hinc est quod tam intrepidē, tamq; cupide crucis subit periculum: salutat crucem, & à longē crucem intuēdo, crucem prędicat: & qui in cruce pro omnibus mortem obierat, Christum celebrat: intraq; se exultat, quod in cruce morti dignus sit habitus. Et ne cruce deponeretur viuis Deū exorabat. Crux huic & pretiosissimus thesaurus erat, & ingens mentis gaudium.

Hac igitur ratione Apostolus noster vitę suę finijt fabulam. Id quod tātoperē in ipso Ecclesia recolligit, miratur, prędicat, sequendum exemplum proponit. Nulli impossibile eam adipisci perfectionem videatur. Qui enim in Andrea erat & operabatur, in nobis quoq; est & operatur, nisi nōs ipsi obstiterimus. Si tamen etiā perfectionem, eumq; finem attingere non datur: quid obest quo minus initium amplectamur? Non statim initio ad supremam pertingitur. Non votis scalarum suprema arripiuntur & occupantur, scandendo eō peruenitur: ab inferiori gradu peruenitur ad summum. Ab initijs ergo & paruis sume tu perfectionis principium. Apponit tibi crucem Deus, ser patienter: maiora & grauiora te committit esse cogita, & quod duriora, & importabilia comminata sunt peccatoribus. Hic primus ad summa conuenienti gradus est. Pręterea & hoc rememora tecum, omni comparatione minōra esse quę hic sustinemus, ad futuram gloriam quę aliquando reuelabitur in nobis. Hęc enim si probē & ex animo cogitaueris, non patienter modō, sed etiam lubens ac volens crucē baiulabis. Postremō & Christi Crux in memoriam redeat, quę pręstabit augmentū, vt non solū patienter ac volens iam, quin etiam summo desiderio crucem suspicias, quo ea

Roma. 8.

Ibidem.

2. Cor. 1.

tionis supremus gradus est, hęc scandens noster Apostolus Andreas, infima quęque reliquit, summa attingit. Commodus processus à paruis ad magna, à minimis ad maxima, à timore ad spem, à spe deniq; in charitatem.

Domnus Deus largiatur mentibus nostris gratiam, vt in

*In corpore de
J. vob. l. 1. p. 1. p. 1.
in l. 1. p. 1. p. 1.
p. 1. p. 1. p. 1.*

ut in

vt in sua quilibet pergat vocatione. Nam hæc (dolor) dissidia, quæ Satan nostro excitauit tēpore, hoc quoq; subsequitur mali: vt omnes in primis hæreamus gradibus, nemo curat ascendere: imò non parua pars hominum reciproco gradu priora repetunt, fiuntq; quotidie posteriora peiora prioribus. Et nisi singularis gratiæ donum perceperimus, actum erit de Christianismo nostrarum partium. Quod tepidum, hoc est, neq; frigidū neque calidum est, Deus expuit, atque ex ore suo euomit. Non quod interituum planè sit Christi regnum, sed quod a nobis auferre potens est Deus, dareq; alteri gēti, quemadmodū in Iudæis exemplum datum est. Si enim non fecerimus quæ decēt filios Abrahæ, potens est Deus ex lapidibus filios excitare Abrahæ, suasque in i-
Apoc. 3. psis promissiones adimplere. Propositum ergo Andreæ exemplum sequamur, cuius vitam cogitemus & meditemur sedulò, Deumq; vt & nobis de sua munificentia largiatur gratiā rogemus. Hi enim duo illi pedes quibus ascendendo utimur, sunt: bona meditatio, & pia ad Deum precatio. Meditatio nostram nobis indigentia in-
Matth. 3. sinuat: precatio necessaria impetrat. Illud viam, ostendit: hoc ducit. Meditatione futura mala, imminentiaq; pericula agnoscimus: per orationem omnia mala declinamus. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus nobis, Amen.

Q V A R T V S S E R M O

in Euangelium vigiliæ An-
 dreæ. Ioan. 1.

P Vlchram sanè & iucundam præsens lectio complectitur historiam: in qua primum videmus in genere, quo Christus modo Apostolos vocat, quibus rebus eos vt sibi adhærescant attrahat. Deinde & præter ista, de Apostolo Andrea cui hæc dies solennis est, aliquid in specie innuitur. Duo opposita, quæ multa pijs cogitandi occasionem subministrant. Quatuor autem Apostolorum in hoc Euangelio fit mentio, quos omnes Christus diuisim vocat. Primus ordine Andreas. Secundus frater illius Petrus, Tertius Philippus, Quartus deinde Nathanaël, quem Apostolum dico, licet hoc nomen eius (excepto semel in Ioannis Euangelio) nullibi scri-
Ioan. 11. ptum

prum offendatur. Quod autē hic Nathanaël Apostolus fuerit, nonnulli etiam ante nos Ecclesie doctores tenuerunt, in cuius comprobationem duo incidunt argumenta. Primum quod tātā Christus eum laude dignatur, verum Israelitam vocans, in quo dolus non sit: pronūciatque plura visurum esse, ut angelos descendere & ascendere supra filium hominis. Hoc indicat quod postmodū inter Apostolos vixerit, alio forte inscriptus nomine. Quinetiam quia Philippus hunc Christo adduxit, Nathanaēlem, & quia aliās vbiq; Apostolorum catalogus recitatur, Philippus & Bartholomæus coniunctim efferuntur, ipse Nathanaël alio nomine Bartholomæus dictus est. Sic ergo hoc loco intelligo, ut apertum sit, quemadmodū initio dixi, quatuor nobis apostolos suis propositos esse nominibus in hoc Euangelio.

Quibusdam tamen placuit addere & quintum, arbitantes eum qui Christum vnā cum Andrea sequutus, Ioannem esse, qui hoc Euangelium conscripsit, sed humilitatis causa proprium suppressisse nomen, Andreæ hoc honoris concessio titulo. Quemadmodum & Lucas in suo Euangelio facit, vbi duorum meminit, quibus Christus se in Emaus manifestauit, alterius tantum nomen indicans. Vnde quidam alterum hunc Lucam fuisse iudicant: quodque non ambitiosus Cleophae nomen tantum expresso, suum proprium silentio præterierit. Simili ratione Ioannes aliās quoque suum nomen celat, per hoc sese insinuans quod sit ipse discipulus ille, quem diligebat Iesus. Potuit ergo, ut quidam volunt, hic quoq; nomen suum suppressere, tantum sociū vitæ confortemq; indicare. Sed ut est, non magno periculo nomina præterimus, rem porro aggrediamur ipsam. Quotquot ergo sunt Apostolorum, qui illo tempore vocati ad Christum venerunt: quisq; tamen suæ vocationis & conversionis euidentēs & magnas causas habet. Andreas enim eiusq; collega ex Baptista didicerant, Christum esse agnum Dei, qui totius mundi peccata tolleret. Et hæc quidem res, ut Christum sequerentur, eorū peccata permouerat. Et quem hodie ad Christi imitationē hæc non inflammarent, si quis, ut omnes debemus, divina gratiæ donum delictorumq; remissionē desiderat.

Alia

Matth. 10.

Lucæ. 6.

Marci. 3.

Ioan. 13.

19. & 21.

Ioan. 1.

Alia deinde Petro fuit occasio. Intellexerat enim ex Andrea fratre, quod inuenissent Messiam. Hoc trahabat: nec immerito. Vna enim hec cunctorum erat expectatio. Quis enim non accurreret quam velocissime, si quis nouus per acclamationes populi innotesceret, qui oibus omnium hominum morbis mederi, oia omnium mala tollere posset?

Alia etiam Philippo ut Christum sequeretur fuit causa. Ipsum enim Philippum ipse Christus vocat: Sequere me. Vox imperantis & potestatiue attrahens, cui Philippus cum non potuit resistere, obsequitur, Christum imitatur: quem admodum & Paulus ubi ex celo vocans vocem audit, obli-

Año. 9. tus propositi suis quod dicat non habet, nisi: Dñe quid vis me facere: Et hac diuinæ vocis potentia tam magnificam sacra scriptura non vno in loco attestatur & prædicat. Dabit Dñs, inquit Dauid, voci suæ vocem virtutis.

Psal. 67. **Psal. 28.** Et: Vox Domini cum magnificentia; vox Domini cum virtute. Hæc igitur vox Philippum traxit. Quartus denique: siue Nathanaël, siue ille Bartholomæus, suam quoque peculiarem sequendi rationem habuit. Dixerat enim Philippus: De quo scripsit Moses in lege & propheta, Inuenimus Messiam, Iesum filium Ioseph Nazarenum. Et licet Nathanaël principio impossibile arbitraretur à Galilea aliquid boni & magni esse posse, ad primum tamen Christi verbum, maiori & excellentiori quam ceteri ante omnes appellatione confitetur Dominum: Rabbi, inquit, tu es ille filius Dei, tu es ille Rex Israël. Ex his ergo opinor, non obscure patet, quid ad Christum attraxerit Apostolos. Non vana in his viris curiositas erat: non ut mundus solet incertos nouarum rerum sequebatur rumosculos, sic nec leuitas in sanctis dominatur pectoribus, ut sicut nonnunquam fex populi certatim concurrens, antesignanum suum nequitia eligit, suos desereret, alios laderet: sed fides hos & æternæ salutis impellebat cupiditas. Atque ideo tam placide Christus eos alloquitur: primos illos duos quid quaereret, interrogat, & hospitij sui cum ipsis iura communicat. Petro statim dicit in quem usum vocatus, quod munus obiturus esset. Nathanaëli quoque; insinuat, suam intelligentiam etiam aperta esse secreta quorumcumque corda. Postremo omnibus futura promittit prodigia lata illa & visu iucundissima, ipsosque adeo Angelos, aperto celo

Ioan. 1.

Inuenimus Messiam, Iesum filium Ioseph Nazarenum. Et licet Nathanaël principio impossibile arbitraretur à Galilea aliquid boni & magni esse posse, ad primum tamen Christi verbum, maiori & excellentiori quam ceteri ante omnes appellatione confitetur Dominum: Rabbi, inquit, tu es ille filius Dei, tu es ille Rex Israël. Ex his ergo opinor, non obscure patet, quid ad Christum attraxerit Apostolos. Non vana in his viris curiositas erat: non ut mundus solet incertos nouarum rerum sequebatur rumosculos, sic nec leuitas in sanctis dominatur pectoribus, ut sicut nonnunquam fex populi certatim concurrens, antesignanum suum nequitia eligit, suos desereret, alios laderet: sed fides hos & æternæ salutis impellebat cupiditas. Atque ideo tam placide Christus eos alloquitur: primos illos duos quid quaereret, interrogat, & hospitij sui cum ipsis iura communicat. Petro statim dicit in quem usum vocatus, quod munus obiturus esset. Nathanaëli quoque; insinuat, suam intelligentiam etiam aperta esse secreta quorumcumque corda. Postremo omnibus futura promittit prodigia lata illa & visu iucundissima, ipsosque adeo Angelos, aperto celo

cælo descensuros super filiū hominis. Ecce, igitur, hæc omnia in prima vocatione Apostolorum contingere, quæ si quis penitus cōsideraret, multæ utilissimæq; meditationis haberet materiam.

Præterea, adhæc plenā de S. Andrea historiā habet: historiam, in quā, certam, firmā, cui consentire omnes, omnes approbare & confiteri cogentur. Hunc enim vides primum fuisse, qui sese Christo crederet, ipsumq; sequeretur. Magnum profecto, magnæ fidei argumentū. Nec dum enim aliquam sibi Christus in populo conciliauerat autoritatem: necdum miraculis clarus: nec vlli ex plebe Mefsias creditus: contrā, Andreas Baptistæ familiaris (qui inter multos maximus habebatur) & tamen cum tanta ex Ioanne de Christo audit, obuijs manibus huius cōuersationem amplectitur, & sequitur. Neq; verò spe fallitur. Quem enim credebatur esse Christum, is ipse erat. Quod in illo desiderabat, inueniebat: & quod inuenerat, mordicus deinde tenebat. Vnde hodie Ecclesia illius veras laudes canendo celebrat: Andreas Christi famulus, dignus Deo Apostolus, Germanus Petri, & in passione socius. Quibus quatuor verbis summa laus Andreæ celebratur. Primū enim an non honoratissimus Titulus est, Christi famulum esse? Mundi huius filij de herōum familiaritate, nonnunquam etiā seruitute superbiunt. Et quæ inde Salus? Aegyptus homo non De- Isaie. 31.
est, inquit Isaias: virtus eius caro, non spūs. David no- Psal. 145.
lite, inquit, confidere in principibus in quibus nō est salus. Sed Christi Andreas famulus, imō & Apostolus, nec id nomine tantū tenus, sed re, dignus Deo Apostolus. Adhæc Petri germanus & frater nō naturā modò, verū etiam & multo magis propter fidē: id quod in passione ostendit euidētissimē. Vterq; enim cruci affixus. De his ergo quilibet piē Christianus denuo amplam meditando occasionem sumere posset: & huic quidē hoc præfens seruit Euangeliū. Hæc ergo cogitemus fratres, quæ sint Christianismi exordia, quomodo primi in hoc albo docuerint, vixerint, & obierint. Hæc sunt viæ antiquæ quarum Hieremias meminit. Si vllō vnquam tēpore opus Hiere. 6.
fuit, certē nūc summē necessariū est: vt exeamus in vias, & de ijs antiquis circūspiciamus, vt eodem incenden- tes,

tes, requiem inueniamus animarum nostrarum. Gratia Domini nobiscum, Amen.

QVINTVS SERMO,

de duplici uocatione Apostolorum.

Matth. 4. **S**Acra huius diei Euangelica lectio historiam uocationis S. Andreæ nobis insinuat, quam quidem Euangelista nudè proponit. Christus, inquit ille, uocauit Petrum & Andream: Illi autem relictis oibus sequuti sunt eum. Et hæc quidem duo Matthæus indicat. Verum si quis ea, quæ heri in Ecclesia ex Ioannis Euangelio lecta sunt superioribus addiderit, ea ipsa inueniet duplicia: Duplicem, inquam, uocationem: duplicem item Apostolorum sequelam. Sic enim habet textus Ioannis: Vidit Ioannes Iesum uenientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Hæc uerba Ioannis duorum ex eius discipulis mentibus insedebant, qui relictio Ioanne, sequebantur Christum: quorū alter hic noster Andreas erat. Et hæc quidem prima sed interna uocatio fuit. Nōdum enim audierat Euangelizantem Christum: sentiebat tantū intus trahentem, ut ultro ipse sequutus, tandem etiam Germanum Christo adduceret: ambo deinde cum nondum per omnia adhærerent Domino, ad piscationem reuertentes. Postea uero ambos simul Dominus uocat: Venite post me, faciam uos piscatores hominum. Et hæc externa uocatio, cui obsequentes, relictis omnibus constanter in finem usque cum Christo perseuerabant.

Et hæc quidem sunt quæ Euangelium hoc de Andrea nostro nobis refert. Vnde haud difficilè colligitur, quomodo Christo attrahamur, & quæ uera Domini sequela. Nemo, inquit Christus, uenit ad me, nisi pater meus attraxerit eum. Duobus uero modis à patre ad Christū attrahimur: uno modo internè, per spiritum sanctum: deinde externè, per uerbum suum. Pulchrè autem Paulus de externa in hodierna epistola disserit: Nō est (inquit) distinctio Iudæi uel Græci: Nam idem Dominus omnium, diues in omnes inuocantes se. Quisquis enim inuocauerit nomē Domini, saluus erit. Quomodo autem inuocabunt eum, in quem non crediderunt? Quomodo autem credent ei, de quo non audierunt? Quomodo au-

dient

dient absque prædicante? Ex his ergo Paulus concludit, fidem ex auditu esse, auditū verò per verbū Dei. Hæc igitur externa vocatio. Sed minimè isthæc sufficit, nisi interna quædā vocatio accedat. Nō enim externus auditus ad omnia pertingit. Deus est qui mētes hominū per spiritum suum consulit. Tollam (ipse ait) cor lapideum a vobis & dabo vobis cor carneum, & effundam de spiritu meo in medium vestri. Et in Hieremia: Dabo legem meam in visceribus eorum, & erunt omnes theodidacti. Hæc ergo ubi externo verbo accefferint, plena sit & perfecta vocatio: ideoque minimè satis est audire verbum Dei: rogandus Deus est, ita mentes nostras gratia sua & sancto spiritu perfundat: ut animemur verbum quod audiuimus, in effectum ducere. Hoc ergo primum est, quod in Andrea considerandum nobis proponitur.

Ezech. 36

Hier. 37.

Quod si de cætero percontaris, quæ vera sequela sit, audi: ipse Paulus initio hodiernæ epistolæ primo verbo hoc indicat, dicens: Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Duas hic audis partes, credere & confiteri. Ambas verò in nostro Andrea conspiciamus: & in ipsis adeò verbis, quibus dicit: Inuenimus Melsiam, fidē scilicet cordis, confessionem oris. Id quod verè est sequi Christum: Corde credere, ipsamque deinde imperterritè fidem palam confiteri: non tamen ut hæc confessio ore fiat tantum, nec vita actusque nostri respondeant. In hunc enim sensum Paulus sui ipsius interpret est, ubi conqueritur nonnullos esse qui confiteantur quidem fidem ore, sed tamen abnegant factis. Quibus sanè

Rom. 10.

Tit. 1.

verbis quid aliud vult innuere, quam siue factis confessionem oris minimè sufficere? Vtrunque in Andrea habes. De fide enim quā alta mēte seruabat repōitam, & de confessione oris modò audiuimus. Quomodo aut factis confessus est, Matthæus innuit: Relictis omnibus sequuti sunt eum. Hoc est Christum factis confessum esse, omnia relinquere, ipsumque solū pluris æstimare quàm totius hanc orbis machinam. Hæc igitur omnia nobis de Sancto Andrea Evangelica recolligēda offert lectio. Et quidē hucusque initium historię eius audiuimus.

Matth. 4.

Cui verò & reliquum vitæ mortisque illius audire animus gestit, quæ Ecclesia in laudem eius psallat, percipiat:

b

piat:

piat: Deus in tua virtute Sanctus Andreas gaudet & lætatur eadem comitatus. Piscatio nati tui ipse primum factus piscator populorum Mirmidones idolatras diu fluctuagos rete cepit fidei. Is legibus Achaian tuis Deus victor illius subiugauit: Et trophæum Christi tui fixit ibi, bonum se ostentans militem, miraculis, virtutibus, doctrinis, quæcunq; quaesita spolia, tibi o rex attulit, atque suo cruore triumpho inscripsit titulos tui regū Domine, &c. In quibus verbis tota historia habes, hoc est, vitam & mortē Andreæ, breuiter simulq; festiuē descriptionē. Fuit enim prima piscatio, id est, primus quē Christus verbi sui rete attraxit. Sed & primus cū fratre Petro hoim factus piscator, vti modò ex Euāgelio audiimus. Quomodo autē piscationis suæ officio præfuerit, quid effecerit, subsequētia indicant verba. Primū Mirmidones Aeginæ insulæ habitatores, idolatras fluctuagos sua prædicatione ad nostrā religionē perduxit. Secundo totam etiā Achaian legibus & verbo Dei, fidei Christianę subiugauit, atq; ibidē fortis athleta & victor signū crucis triūphale erexit. Tertio, quicquid doctrina, vitæ exēplo, & miraculis Satanæ detraxit, non sibi, sed Christo obtulit. Postremò, quod maximū est, hæc oia in sanguine suo obsignauit. Sed quicquid illud est, in tua D E V S virtute semper sibi assistente, consummauit: de qua etiamnum lætatur perenniter.

Hæc igitur hodie de S. Andrea totum per orbem diffusa sacra canit Ecclesia. Sed nunquid tam paucis verbis multis & maxima cōprehenduntur? Eos Christus habuit Euangelij sui Apostolos, eos Ecclesia habuit pastores & custodes. Eiusmodi ergo exēpla præstaret semper ante oculos habere: ad eam normā fidē vitamq; nostrā iustificare summē prodesset: ne vel Christi gratia, vel Apostolorū actus fideles & opera incassum abirēt nostra negligentia. Nondū eorum officiū cessauit, necdū munus eorū consummatū est: ad mundi finē vsq; spirituales eorū piscatio permanet. Felices planē qui ita attrahuntur, vt olim, cū mali segregantur, inter bonos pisces numerati, in vitam æternam assumantur. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus nobis, Amen.

IN